



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

Anno Christi MDXXV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

capite plecti fecerunt, Joannem Kager, & Joannem Speiser, ambos sexagenarios. Excessus illorum proclamatus fuit, quod fuerunt blasphemi, & quod in die Hilariae egerint contra Senatum & Rempublicam. In vinculis ante ipsos Missa pro eorum communione celebrata fuit, ut clam providerentur, ut de illorum punitione nemini constaret, ne exinde aliqua seditio oriretur. Joannes Speiser Sacramentum noluit accipere, nisi ei sub utraque specie detur, quod Senatus recusavit; quare sine provisione punitus fuit: alter vero cum devotione Eucharistiam sumpsit, super ipsos campana Sturmglogg etiam non fuit pulsata.

Augustæ bastia, seu fortalitium juxta portam Werterbrucker Thor constructa est. Et habitationes in cæmeterio ante Ecclesiae B. Mariæ Virginis portam pro mechanicis atque pro rebus venalibus ibidem reservandis, & exponendis, sine scitu, & voluntate Canoniorum, quod ægre tulere.

*Anno Christi MDXXV.*

Augustæ Senatus ordinavit, ne pauperes mendicantes ostiatim postulantes, domos accederent more antiquo: sed constituerunt tres cives super hujusmodi negotium, quibus deputavere quatuor servos, qui omni Dominica die per Ecclesias Parochiales incederent, postulantes eleemosynam

nam ad generalem bursam pauperum. Fundum etiam fecere in Ecclesia S. Petri ad reponendam pecuniam pro pauperibus placito tempore, & omni sabbato indigentibus distribuere, cuilibet dantes secundum descriptionem in una scheda juxta necessitatem pro tempore, etiam secundum favorem, quatuor etenim servi interdum sinistre agebant. Monasterium S. Udalrici dabat quotidie ex devotione, & non ex jure, omnibus advenientibus frustum panis in eleemosynam & omni feria secunda magnus concursus pauperum erat. Misit autem Senatus ad nos rogando, ut etiam aliquid ad bursam pauperum daremus. At nos spondimus ad placitum nostrum ex parte, vel ex toto per nos iterum revocando, 32. panes, vulgariter *Hauß-Laib*, quocumque tempore.

*Anno Christi MDXXVI.*

Audivi ab Abbate de Weingartten, qui etiam unus est ex Senatu procerum Ligæ, Petrum Aichelin, qui Provos Ligæ est, ipsum usque in finem anni illius 1200. Presbyteros, & Monachos, Lutheranos atque rusticos decollasse, & strangulasse; Et in omnibus finibus Ligæ Suevicæ 10000. decollatos atque suspensos fore, prout in diæta Augustensi coram proceribus Ligæ lectum fuit. Ac deinde ipse Petrus Aichelin